



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Capitularia Regvm Francorum

Additae sunt Marculfi monachi & aliorum formulae veteres, & Notae
doctissimorum virorum

Baluze, Etienne

Parisiis, 1677

III. Pactum Karoli & Henrici.

urn:nbn:de:hbz:466:1-22974

*In tomo tertio Conciliorum Gallie pag. 575.
& sequentibus extant epistole duae Iohannis
X. P. a. Romani de causa episcopij Tungrun-*

*sis, prima ad Herimannum Archiepiscopum
Colonensem, altera ad Karolum Regem.*

TITVLVS III.

Paetum Karoli & Henrici.

IN nomine sanctae & individuae Trinitatis. Divina propitiante clementia, anno dominicae incarnationis DCCCXXVI. anno vero regni Domni & gloriosissimi Regis Francorum occidentalium Karoli XXIX. redintegrante XXIV. largiore vero hereditate indepta X. Indictione IX. anno quoque regni Domni & magnificentissimi Regis Francorum orientalium Henrici tertio, inter ipsos praefatos Principes unanimis pactum ac societatis amicitia quaesita repertaque exordia sumpsit, prout visa sunt competentia. Convenerunt enim ambo illustres Reges, sicut inter se discurrentibus Legatis convenerant, II. Nonas Novembris, feria prima, Dominus enim Karolus super Rhenum flumen ad Bonnam castrum, & strenuus Henricus ex altera parte Rheni. Et ea tantum die mutis se visibus intuentes super ripas ejusdem fluminis huc & ultra, ut sui fierent fideles innoxij sacramento quo hanc eorum conventionem fuerant polliciti. Verum feria quarta, VI. Idus Novembris, in medio Rheni fluminis, saepius dicti Principes in navibus quisque suis in tertiam ascenderant, quae ancorata in fluminis medio gratia eorum colloquij fixa erat; ibique in primo hanc sibi vicissim convenientiam ob statum pacis juramento sanxerunt ita.

Ego Karolus divina propitiante clementia Rex Francorum occidentalium amodo ero huic amico meo Regi orientali Henrico amicus, sicut amicus per rectum debet esse suo amico, secundum meum scire ac posse; ea vero ratione, si ipse mihi

juraverit ipsam eundemque sacramentum, & attenderit quae promiserit. Si me Deus adjuvet & istae sanctae reliquiae.

E contra Rex Henricus eandem promissionem sacramento eisdem profecutus est verbis subsequenter, ut hujus amicitiae firmitas inviolabiliter observaretur.

Haec sunt nomina Episcoporum qui cum nobilibus ac fidelibus laicis firmitatem quam praememorati Reges inter se fecerunt, collaudando acceptaverunt, & manibus suis sacramentum firmaverunt nunquam a se destruendam.

Episcopi ex parte Domni regis Karoli. Herimannus Archiepiscopus Agrippinae, quae modo est Colonia vocitata, Rodgerus Archiepiscopus Trevirorum, Stephanus Praeful Cameracorum, Bovo Episcopus Catalaunensium, Baldricus Trajectensium Episcopus. Haec nomina Comitum. Matfredus, Ergengerus, Hagano, Boso, Waltgerus, Isaac, Ragenberus, Theodricus, Adalardus, Adelelmus.

Episcopi ex parte Regis inclyti Henrici. Herigerus Archiepiscopus Moguntiacorum, Nithardus Episcopus Mimmo-gerneferdae, Dodo Episcopus Osnobrogae, Ricavdo Episcopus Vangionum, quae nunc dicitur Warmatia, Hunuardus Episcopus Paderbornensis, Notingus Episcopus Constantiae Alemannicae. Haec sunt nomina Comitum. Eurardus, Chonradus, Herimannus, Hato, Godefredus, Otto, Herimannus, Cobbo, Magenhardus, Fridericus, Foldac.

